



cia degentes, longe ante Hunnorum in Europam aduentum celebres fuerint.\*

§. 3.

Quod de *Marte* ab Hunnis culto dictum, egregie illud illustratur, a PRISCO RHETORE. \*\* Nec parua illi potentiae accessio contigit, ex eo, quod Martis ensis erat detectus a rustico quodam inter arandum. \*\*\* Inuentus vero est an. 444. cum Sorosgos Hunnos ATTILA sub iugum mittebat. Hic gladius tanquam sacer et Deo, bellorum praefidi dedicatus, a Scytharum regibus olim colebatur et multis ante seculis non visus, bouis ministerio tum fuit erutus. \*\*\*\* Iste quidem gladius diu post ATTILAE tempora inter Hunnos superfuit, donec post susceptam ab Vngaris religionem christianam regis SALAMONIS mater, illum, duci Boioariae OTTONI dono daret. \*\*\*\*\*

§. 4.

Itaque Hunnos sub primo in Europam ingressu, paganos fuisse, nullum est dubium. Fidem interea tamen non superat quod INCHOFERVS euincere conatur, inuentos inter ipsos fuisse passim qui saltim sub finem seculi IV, Christo nomen darent. Saeuiebant Hunni in eos qui christiana sacra profitebantur, diripiebant aedes eorum sacras, immo nec a locis teatisque Antistitum sacrorum manus temperabant.\*\*\*\*\* Tentarunt Christiani, eisdem errores men-

tis

\* Conf. HERODOT. I. IV. p. 121. STRABO I. VII. p. 194. et I. XVI. p. 507. BONFINIVS Dec. I. libr. II. p. 23. HANERVS in hist. eccl. Transylv. I. I. pag. 17. SCHMEIZEL in dissert. de statu eccl. Luth. in Transylv. p. 8.

\*\* Vid. PRISCI RHETORIS de legationibus c. 1. §. 2. et de gladio Martis c. 2. §. 17.

\*\*\* BONFIN. Dec. I. lib. III.

\*\*\*\* IORNANDES de rebus Geticis c. 35. Calan. in Attila c. 3.

\*\*\*\*\* Si vera sunt, quae LAMBERTVS SCHAFNABVRG. narrat in chronico apud SCHOEDELIVM p. 220.

\*\*\*\*\* Fuisse IV. post Christum natum seculo, septem episcopatus non obscure col-